DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
DYSENTERIA,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
Doctoris Medicinae et Chirurgiae Laurea
RITE ET LEGITIME OBTINENDA
in celeberrima
C. R. MILITARI SCIENTIARUM ACADEMIA
MEDICO - CHIRURGICA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT

Simon Pleschutznigg,
Carinthus e Meiselding.

In theses adnexas disputabitur in Aedibus Academiae Josephinae die Mensis Martii anni 1839.

VINDOBONAE.
TYPIS CAROLI UEBERREUTER.

Der erhabenste Beruf des Menschen nach dem Gottesdienste ist doch der, Priester der heiligen Flamme des Lebens, und Verwalter der geheimsten Kräfte der Natur für das Menschengeschlecht zu seyn. —

Hufeland.

Nemo mortalium plus boni exercet, quam medicus.
Huicce quoque auxilium ferendum.

Seinem

innigst geliebten Bruder

LORENZ PLESCHUTZNIGG,

widmet

diesen ersten Versuch

einer literarischen Arbeit

als schwachen Beweis

der

Dankbarkeit für unzählige Wohlthaten

der

Verfasser.

Procemium.

Post tot tantosque labores ultimum tandem adgredior, ut legibus academicis satisfaciam; his enim sancitum est, ut quilibet Medicinae Doctoris lauream adspiraturus objectum aliquod ex vastissimo campo artis medendi desumtum publicae submittat disquisitioni. Ex hoc in materiem dissertationis hujus selegi dysenteriam, cum plures morbo hoc adfectos mensibus Augusto et Septembri anni praeterlapsi rure degenti mihi observandi larga erat occasio. Lector benevole! suscipe benigno primitias hasce pagellas oculo, nolique a medico tirone aliquid per-

fecti aut inauditi exspectare, neque obliviscere, quantis diversarum circumstantiarum angustiis dissertationem inauguralem conscripturus prematur.

Viennae die 25. Januarii 1839.

Etymologia et definitio.

Dysenteria (a vocabulis graecis: δυς difficilis et εντερον intestinum compositum) designat secundum etymon difficultatem intestinorum. Fluxus dysentericus, fluxus cruentus cum tenesmo, rheumatismus intestinorum exprimunt eandem passionem.

In genere est morbus febrilis cum eminente adfectione inflammatoria intestinorum crassorum, cum excretionibus alvinis diverse alienatorum humorum cum doloribus lancinantibus colicis et tenesmo. Auctores celeberrimi hujus morbi naturam vario modo exposuerunt.

Celsus tormina per exulcerationem intestinorum inducta dysenteriam nominat; Galenus fere eandem opinionem ac Celsus habuit; Wellis et Sydenham opinionem de ulceratione intestinorum in dubium vocabant; Bonnet et Pringle secundum inquisitiones laboriosas confirmabant, ulcerationem, quam veteres dysenteriae causam efficientem putabant, nonnisi effectum hujus morbi esse; Cullen et Hufeland dysenteriam pro spastica affectione intestinorum crassorum habebant; Fridericus Hoffmann, P. Franc jam cognoscebant naturam inflammatoriam hujus morbi. Observatio autem rigorosa et exactum examen hujus morbi causarum et symptomatum, et analogia, quam cum inflammationibus membranarum mucosarum in aliis partibus ostendit, nec non sectiones cadaverum nobis manifeste demonstrant atque declarant, hunc morbum phlogosim esse, quae membranas mucosas qua sedem suam agnoscit.

Hypotyposis.

Dysenteria non raro repente, quin certa quaedam signa eam adpropinquantem indicantia praecedant, ho-

mines invadit; multo frequentius autem prodromi varii per brevius aut longius tempus durantes obveniunt. Huc pertinent praeter varia symptomata catarrhalia vel rheumatica, appetitus prostratus, lingua mucosa, inpura, sapor fatuus, sensus pressionis in regione epigastrica, nausea, vomituritio, flatulentia, dolores lancinantes in regione umbilici, inclinatio in diarrhoeam, nonnunquam etiam in alvi constipationem. Hisce symptomatibus sese associant coenaesthesis alterata, morositas animi, somnus inquietus, sensus tensionis in artubus, intercurrens horror aut horripilatio, pulsus frequentiores e. s. p. quae omnia, quo propior dysenteriae invasio, eo luculentius in conspectum veniunt.

Morbus ipse incipit cum frigoremoderato et subsequente aestu, i. e. cum febri, cui deinde caetera dysenteriae symptomata essentialia accedunt, nempe alvi excretiones adauctae, dolores colici lancinantes in abdomine et tenesmus.

I. Febris, ni semper, plerumque tamen dysenteriam concomitans symptoma est, quae quoad characterem admodum variare potest, semper vero ejus cognitio summi momenti est, nam ejus vehementia et character gradum et naturam topicae adfectionis tractus intestinalis accurate designat. Haec febris, quae tantum in morbo mitissimo, ut sub simplici catarrho miti revera deficit, quoad typum continua remittens est, quoad characterem autem plerumque catarrhosa; remissiones conspicuas celebrat mane, exacerbationes vespere, quo tempore etiam localis passio ingravescit, eodemque modo decurrit, ac solvitur, quam illa, quae catarrhos acutos comitatur. Haec tamen febris, licet plerumque sub forma catarrhosae obveniat, eandem formam ubique et semper non retinet, sed non raro in inflammatoriam, nervosam, putridam et longe plurimum in gastricam vertitur, vel nota gastrica jungitur, cum functiones organorum adfectorum digestioni et assimilationi di-

catorum facile turbentur, eoque sordes varias in primis viis provocent.

II. Numerus alvi secessuum determinari non potest, modo decies, modo centies intra nyctemerum alvus movetur. Aeger aut continuo suppositorio insidet, aut hoc vix remotum iterum postulat. Numerus illorum semper cum morbi gradu et periculo in aequali ratione existit. Quantitas excreti singulis vicibus admodum varia, et plerumque exigua est, ita, ut solum frequentia secessuum ejus molem augeat.

III. Dolores sunt vehementes, colici, lancinantes et cuilibet alvi dejectioni reiterandae immediate praecedunt, in regione umbilici concentrantur plerumque, a qua deinde in reliquum abdomen diffunduntur, et eo vehementiores evadunt, quo altior morbi gradus, et quo magis ad enteritidem adpropinquat localis adfectio.

IV. Tenesmus, seu desidendi cupiditas continua ac molesta, non raro per ipsas evacuationes lenitur, vel etiam pro momento tollitur, frequentius vero continuo perstat, et eo gravius redit, prouti nova dejectio imminet. Frequentius tenesmus non solum ad intestinum rectum restringitur, sed etiam ad vesicam urinariam extenditur et spasmum vesicae, indeque stranguriam causat. Sub hac continua et saepissime irrita desidendi cupiditate quandoque intestinum rectum inflammatum prolabitur, quod phaenomenon praesertim apud infantes non raro observandum est.

Hisce symptomatibus essentialibus multa quoque alia et quidem diversissima sese associare possunt, nam diversus character febris dysenteriam concomitantis etiam diversissima symptomata in conspectum provocat, ex qua causa dysenteriam rheumaticam, inflammatoriam, biliosam, verminosam et malignam, sub quibus formis frequentissime solet occurrere, quidquam fusius pertractabo.

a) Dysenteria rheumatica.

Nomine dysenteriae rheumaticae, seu simplicis, illam intelligo intestinorum adfectionem rheumaticam, quae non in statu inflammatorio eorundem consistit, sed solummodo vitam membranarum sensibilem et irritabilem insigni modo exaltatam prae se fert, quin vita earundem vegetativa aliquam experiatur mutationem. Vocatur hic morbus etiam dysenteria catarrhoso-rheumatica; rheumatismus intestinorum, febris dysenterico-rheumatica. Hic morbus incipit cum lassitudine, cephalaea frontali, gravedine capitis, lingua alba, tensione molesta in cervice et in extremitatibus; accedunt deinde tormina et tenesmus, quae symptomata stato tempore perfecte intermittunt; alvi dejectiones sunt creberrimae, mucosae, aquosae, morbo jam diutius durante non raro sanguine tinctae. Febris comes luculentas agnoscit intermissiones, faciem modo rheumaticae, modo catarrhosae prae se ferens. Accedunt saepe alia symptomata catarrhalia, aut rheumatica, quam ob rem tussis, coryza, odontalgia, dysphagia hunc morbum concomitari solent. Quae dysenteriae rheumaticae a catarrhali constituere solent differentiam, sequentia sunt: In dysenteria rheumatica tormina et tenesmus acriores, dejectiones mucoso-serosae parciores, quam in catarrhali esse solent; utramque insuper symptomata vel catarrhalia, vel rheumatica variarum partium praecedunt et concomitantur. Quodsi statim ab initio hujus morbi medicina et diaeta correspondentes adhibentur, non raro intra nyctemerum motis sudoribus absque omni periculo solvitur; incongrue aut serius profligata, favente quoque dispositione, in dysenteriam abit utplurimum inflammatoriam, nec non in dysenteriam chronicam, quae ambae facili modo metastases ad partes nobiliores producere valent. Qui ex hoc morbo convaluerant aegri, quandoque blennorrhoea

pulmonum, aurium tinnitu, baryecoia etc. adficiuntur, quandoque enteroblennorrhoeam vel lienteriam qua posthuma agnoscunt mala.

b) Dysenteria inflammatoria.

Nomine dysenteriae inflammatoriae illam speciem dysenteriae intelligimus, ubi localis adfectio inflammatorio statui proxime accedit, cum febri inflammatoria concomitante. Haec dysenteria plerumque absque signis prodromis, sed derepente, febri valida stipata intrare solet. Febris nimirum valido horrore incipit, quem urens excipit calor; pulsus tanguntur frequentes pleni, duri, fortes, quandoque, et praeprimis, si enteritidis faciem induit, contracti, spastici, tensi; cutis sicca ardet; lingua arida, sitis vehemens, cephalaea dira exoriuntur; dolor in abdomine fixus et assiduus, vix remittens, et si remittat, saltem non intermittens, sub adtactu abdominis tumiduli etiam sub levissimo exasperans ab aegro persentitur. Accedunt saepe, doloris immanis causa, convulsiones, tremores artuum et lipothymia; miser vultu distorto, cruribus surisque adtractis, furibunde vel taciturne desipiens sudore madidus frontali, involuntarios exprimens ejulatus, summa anxietate correptus jacet. Urgetur frequentissima ad alvum deponendi cupiditate, quae vero deponuntur, vel parcam tantum cruoris quantitatem, vel plane nihil continent. Ructus inanes, vomituritiones repetitae, ipseque vomitus in obtutum veniunt. Urinae parcae et rubrae evadunt. Corripit hic morbus homines juniores robustos, plethoricos, constitutione epidemica inflammatoria imperante, tempore ut plurimum hyberno, vernali, vel autumnali; oritur saepe acrimonia humorum interaneorum, aut inepta medicina stimulante. Solvitur fortuna favente intra septem dierum spatium evacuationibus criticis, aut aegrum non raro gangraena accedente necat.

c) Dysenteria biliosa.

Sub dysenteria biliosa illam speciem rheumatismi intestinorum intelligimus, quae nota biliosa stipata est. Incipit cum cephalaea vertiginosa, anorexia, siccitate et flavedine linguae, amarore oris, dolore ventriculi levi, fugaci; accedunt deinde horripilationes, quas paulo post gravissimus aestus comite cephalaea dira sequitur; febris exoritur vehemens cum pulsibus frequentibus, plenis, nunc liberis, nunc suppressis, cum siti ingenti in acidula directa, adsunt signa, quae hepatis statum irritativum, bilem nimis copiosam et acrem in primis viis aut sursum aut deorsum turgescentem, quae materiae biliosae regressum in sanguinem comprobant. Oriuntur dolores abdominis momento ante dejectionem et sub ea ipsa intensissimi, qui praesertim alvi dejectione peracta remittunt. Exsurgent saepe nausea, vomituritiones, imo ipse vomitus biliosus; alvi dejectiones frequentissimae coloris flavi, viridis, quin imo sanguinolentae adparent, quae ergo dolentissimum tenesmum provocant. Urinae missae colore croceo tinctae observantur. Haec dysenteriae species praecipue magno cum furore in zonis torridis grassatur; apud nos utplurimum mense Julio et Augusto exoritur, mitiusque quam in illis regionibus decurrit atque ad finem vergente autumno emoritur. Haec dysenteria transitum in dysenteriam bilioso-inflammatoriam aut bilioso-septicam amat, quandoque in febrim intermittentem quartanam aut tertianam abire solet.

d) Dysenteria maligna.

Sub dysenteriae malignae titulo quamcunque dysenteriam charactere adynamico incedentem intelligimus. Agnoscit hic morbus modificationes varias, quibus adnumerantur sequentes: Dysenteria putrida, nervoso-putrida, nervosa et harum cum reliquis dysenteriae spe-

ciebus combinationes, praecipue dysenteria bilioso-putrida. Dysenteria maligna vel primario modo, vel secundario occurrere potest.

Symptomata dysenteriae malignae primariae sunt sequentia: Omnium primo subitanea virium muscularium praeprimis prostratio sine causa cognita, praecordiorum magna anxietas, indifferentia erga omnes res externas, animi dejectio, morbi patientia et tolerantia facilis exoriuntur; dolor in intestinis cum periculo, quod minatur, pari passu non incedit, nam sunt saepe aegri, qui de dolore vix queruntur, quum e contrario aliis dolor fere intolerabilis fit; apud nonnullos abdomen meteoristice expansum, apud alios molle est; aliis regio epigastrica, nec non hypochondriaca dextra multum dolet. Secessus alvi modo frequentissimi, mere aquosi, aut sanguinei; aut aquoso — sanguinei sunt, modo alvus ad nigrum, ad flavum, aut ad viridem colorem vergens, materiam chocolatam et sanguinem referentem admixtam habet; semperque ultra modum foetet; modo nil ferme aegri alvo deponunt, et intolerabili tantum tenesmo torquentur. Urinae sunt lutosae, turbulentae, aut earundum integra retentio animadvertitur. Febris continua remittens, inordinatas amans exacerbationes, adest; pulsus sunt utplurimum debiles, myuri, parvi, inordinati; cutis aspera, sicca; calor ejus mordax, sudore viscido tecta; lingua arida, fusca; sitis vix fallenda; dentes sordidi; cephalaea occipitalis obtusa, temulentia capitis cum stupore; accedunt saepe singultus, nausea, vomitus materiae viridis, fuscae, foetidissimae; superveniunt deliria, convulsiones momentaneae, crebra animi deliquia; haemorrhagiae e cavis narium, oris, urethra et utero; quandoque miliaria, petechiae, morbilli et aphthae oris.

Occurrit hic morbus apud individua malis praegressis, aerumnis etc. jam antea multum debilitata, in locis, ubi aër, praeterquam quod aestuet, simul hu-

midus est, aut corruptus, praeprimis vero, ubi effluviis putrescentibus scatet; hinc saepissime in locis depressis, humidis, in India occidentali, in militum castris, nosocomiis male gubernatis et ergastulis occurrere solet.

Si anxietas imminuitur, abdomen mollius fit, urinae facile mittuntur, debilitas decrescit, et somnus naturalis reficiens accedit, sanationis spes adfulget. Si e contra singultus frequentior fit, tensio abdominis augetur, lingua siccior nigrescit, maculae lividae et nigrescentes in superficie corporis exoriuntur, mors fere inevitabilis.

Dysenteria maligna secundaria iisdem fere symptomatibus incedens tardius decurrit, difficile sanatur, et si solvitur, convalescentia tardo passu insequitur.

e) *Dysenteria verminosa.*

Existit quoque praeter adlatas dysenteriae species alia sic dicta verminosa, alio sub coelo frequentissima. Quodsi sub dysenteria vermes secedunt, triplex casus observari licet:

α) fit nonnunquam, ut praesente morbo verminoso ex irritatione intestinorum per vermes inducta dysenteria exoriatur. Haec, vermibus expulsis, utpote symptomatica sanabitur;

β) existunt saepe morbi, uti dysenteria biliosa, inflammatoria, maligna, in quibus ab aegris vermes, quin ulla in hisce subjectis morbi verminosi vestigia antehac animadversa fuerint, vomitu ejiciuntur. Hoc symptoma morbum facile exasperare potest, quin therapiam mutet;

γ) in regionibus depressis, paludosis, in quibus morbus scrophulosus, verminosus, pituitosus endemice grassatur, intrante autumno et tempestate nebulosa dysenteria verminosa observari licet. Quamobrem, si

homines refrigerium subitaneum admiserint, dysenteria non simplici, sed symptomatibus febris verminosae incedente facillimo modo corripiuntur.

Distinctio a morbis similibus.

Dysenteria cum pluribus morbis similibus interdum confundi posset, uti cum enteritide, diarrhoea cruenta, hepatorrhoea, haemorrhoidibus fluentibus ani, et cholera, in quibus attentio in symptomata essentialia directa omne dubium facile tollit. Maximam certe analogiam habet

a) *enteritis*, cujus modificatio dysenteriam sistit, et ad quam dysenteria sicca seu inflammatoria proxime accedit, a qua vero febri inflammatoria continua, doloribus fixis continuis, ardentibus, pungentibus, vomitu et pertinaci alvi obstructione et tenesmi defectu discrepat;

b) *diarrhoea* cruenta differt absentia febris, torminum et signorum dysenteriae necessariorum, secessu sanguinis meraci absque tenesmo;

c) *hepatorrhoea* est morbus sporadicus, chronicus et afebrilis ex scleromate, suppuratione, exulceratione hepatis oriundus;

d) *fluxus haemorrhoidalis* semper sporadicus perlonge durans, afebrilis ex mariscarum praesentia et absentia dysenteriae symptomatum dignoscitur;

e) *dysenteriae discrimen a cholera* praeclare exponit P. Frank. Vomitus quidem etiam in principio dysenteriae nonnunquam observatur, sed minus constans, minusque violentus, et ad finem rarior; alvi fluxus multo frequentiores; cholerae decursus acutissimus, dysenteriae vero, etsi cito lethalis habeantur exempla, tardior tamen ex ista observatur interitus.

Divisio dysenteriae.

Systematica dysenteriarum divisio multis premitur difficultatibus. Praxis maximopere amat illam, quae respicit febris characterem, nam hic gradum et naturam topicae adfectionis accurate designat, ut jam supra memoravi.

Secundum characterem febris concomitantis dysenteria omnes quatuor characteres generales habere potest, et discedit sub hoc respectu in dysenteriam inflammatoriam, gastricam, nervosam et putridam.

Alia divisio est secundum originem. Sub hoc respectu distinguitur dysenteria sporadica, epidemica, endemica et contagiosa.

Tertia divisio respicit complicationem et agnoscit simplicem et complicatam.

Quoad decursum in acutam et chronicam per plures menses extensam distinguitur.

Nonnulli quoque materiam, quae alvo evacuatur, respiciunt, eamque in dysenteriam albam, quatenus materia alba, lymphatica, concretiones filamentosae, membranaceae dejiciuntur, et in cruentam, quatenus sanguis merus, vel sero intime mixtus, loturae carnis similis profluit.

Aetiologia et nosogenia.

Dantur auctores, qui dispositionem in dysenteriam denegare conantur, suam opinionem eo defendentes, quod dysenteria nulli aetati, nulli sexui, nullique temperamento parcat, atque, etiamsi viri prae feminis, adulti prae infantibus ea corripiantur, hanc differentiam in momentis excitantibus, quibus illi crebrius exponuntur, esse quaerendam dicant; etiamsi experientiam in castris novas cohortes in supplementum adductas ab

hoc morbo citius veteranis correptas fuisse recusent, illas solummodo ea ex causa dysenteria plexas fuisse, quod hisce potentiis nocivis non fuissent assueti, assummentes, nihilotamen minus tantum absumus, ut nullam in dysenteriam dispositionem adsumamus, ut potius hanc longe lateque super populum per influxus cosmicos, nostros effugientes sensus, esse diffusam, qua fit, ut nec temperamentum, nec sexus, nec aetas mortales certae terrae regioni adstrictos immunes reddant, utque morbus tali pacto momentis procatarcticis accedentibus longe lateque per populum disseminetur, omni jure agnoscendam esse existimemus. Teste experientia compertum habemus, dysenteriam sub fine aestatis et tempore autumnali, ubi dies calidissimi saepe sunt, noctes brevissimae aeque calidae, ad primam vero auroram frigidissimi cadere solent rores, ut plurimum observatam fuisse grassantem. Tempestate nimirum calida, plus minus humida, processus vitalis acceleratus quidem est, ast vigore suo privatus, incitabilitas excedens, motus organici ipsi praecipites, ast infirmi et debiles, digestio segnis, chylificatio imperfecta, character sanguinis arteriosus justo minus evolutus, se- et excretiones imminutae et partim suppressae, transspiratio cutanea sola ultra normam adaucta, nutritionis languor, metamorphosis regrediens accelerata, humores rarifacti, justoque liquidiores, fibra laxa, partes solidae molliores. Organismus ita constitutus, si repentinam subeat perfrigerationem, vitae cutaneae fervor subito infringitur, turgor, rubor, et cutis calor evanescunt, transspiratio modo profusa nunc supprimitur, hinc renisus vitalis in membranarum systemate et visceribus cum his proxime nexis, praecipue tractus intestinalis, ex oppositionis dynamicae lege ad gradum altiorem extollitur, quo fit, ut secretio tubi alimentaris et viscerum vicinorum adaugeatur, qualitas humorum secretorum mutetur, insolita vitae sensiferae et irrita-

bilis hic locorum exaltatio exsurgat. Hisce rite perspectis sequitur, homines, qui facile diarrhoea et torminibus e causis minimis corripiuntur, dysenteriae prae ceteris obnoxios esse; hinc infantes et adulti ex quacunque causa debilitati, valetudinarii, qui profusis se- et excretionibus laborabant, praecipue vero illi, qui saepius dysenteria vexabantur, eximiam in dysenteriam ostendunt dispositionem.

Causae excitantes. Experientia confirmatum habemus, praecipuum, imo in quibusdam casibus unicum refrigerium corpori aestuanti repentine admissum sistere dysenteriam excitans momentum. Sic dysenteria sub fine aestatis et tempore autumnali praecipue apud rusticos, si sub messi, fructuum horraeorum collectione, sub vindemia etc. multum aestuantes et sudantes per potum egelidum haustum, aut in humo decumbentes subfrigido humidoque, aut quocunqae alio modo refrigerationem subitam admittant, ut plurimum solet observari. Simili quoque modo inter servos nigros in Indiae occitalis climate calido atque humido agricultura occupatos exoriri solet. Simili ratione ad morbos castrenses numerari meretur, quum nimirum milites in castris summis temperaturae vicissitudinibus, modo aëri aestuanti, modo rori et pluviis continuis humido ut plurimum expositi sunt, quam ob rem non mirandum, quod facillime refrigerium capiant.

Multum quoque fructus horraei nondum maturi qua potentiae dysenteriam producentes a nonnullis criminantur, quum ab aliis usus eorum in dysenteria remedium saluberrimum praedicetur. Clar. P. Frank dicit: „Qui dysenterias iis adeo temporibus, quibus aut nulli sunt ex illis, aut quo fructus nec dum ulli gustari potuerant, epidemice tamen per integras provincias grassari viderunt; illi non vano hanc causam argumento rejecerunt.“ Celeb. Strakius, Tissotus fructus horraeos, imprimis succum uvarum recentium

in dysenteria adplicandos esse collaudant, nec defuit claris. Zimmermann ipsos scopo prophylactico adhibendos suadere. Secundum alios fructus horraei, imprimis immaturi, acerbi dysenteriae ansam praebent, quamvis etiam salutarem suum effectum in eodem morbo sub certis conditionibus non denegent, id tamen certum, fructus horraeos maturitatem assequutos dysenteriae genesi nec unquam favere.

A multis auctoribus inculpari solet per eminentiam aër corruptus, inpurus, effluviis animalium vel vegetabilium fracescentium contaminatus; hinc effluviis paludum, aquarum stagnantium, in quibus animalium et vegetabilium putrescentia solito observatur, cloacis, sentinis, lanienis, speluncis, locis, ubi post proelium ingens saepe cadaverum humanorum numerus equorumque putrescunt, dysenteriae origo adscribi solet. Quamvis hic morbus in regionibus paludosis, nosocomiis, magno aegrorum numero impletis, male gubernatis, in ergastulis omnium frequentius exoriri soleat: tamen hic locorum illum solummodo, si influxus aëris athmosphaerici ignoti, et praeprimis repentina caloris cum frigore praecipue humido alteratio suam contribuant symbolam, initium suum capere, ingentesque his sub circumstantiis edere strages, experientia eruditorum omnis aevi compertum habemus. Tali pacto hasce substantias putrescentes nequaquam solas huicce morbo provocando pares esse, sed has multum ad hunc morbum producendum conducere, ejusdem periculum, malignitatem et vim contagiosam augere, facillimo modo deducendum erit.

Causis occasionalibus quoque adnumerari merentur, nutrimenta indolis malae, corrupta, panis non sat bene fermentatus e farina putrescente aut corrupta paratus, cibi animales putrescentes, alio quocunque modo corrupti, hepar plurimorum animalium, aqua vermibus, insectis scatens, vinum e pomis paratum recens, non

sat bene fermentatum, cerevisia ejusdem indolis, aut jam in acidam fermentationem transgressa, abusus medicamentorum drasticorum, paucis, omnes substantiae, quae irritationem membranae intestinorum mucosae provocare valent.

Prognosis.

Dysenteria nunquam levis, sed plerumque gravis et periculosus morbus est, qui neglectus aut male tractatus, gangraena lethifera terminatur. Praesagium in specie dependet a charactere febris comitis, quae si catarrhosa aut rheumatica, ceteris paribus, meliorem eventum exspectare licet, eo majus autem periculum, quo magis febris characterem inflammatorium assumit, et quo magis sub enteritidis forma morbus adparet; maxime autem verendum, si febris symptomatibus characterem nervosum aut septicum denuntiantibus incedit; quibus dysenteria, quamvis affectio localis non adeo sit gravis, ut plurimum lethalis fieri solet. Quandoque malum in principio benignam simulat diarrhoeam, pedetentim vero malitiose et cum magno aegrotantis periculo dysenteria emergit. Vomitus biliosus in principio malum signum, si singultus in progressu accedit, lethale est, si angina itidem lethale. Aphthae et dificultas deglutiendi mortem imminere denuntiant. Observatum est, intempestive suppressa dysenteria quosdam in epilepsiam, alios in pleuritidem, alios in insaniam incidisse.

Interdum prima dysenteriae invasio quam plurimis, interdum autem inverso ordine haec res incedit, vel etiam medio regnantis morbi tempore major erit hominum jactura. Hyberno redeunte gelu morbus plerumque disparet, illis nempe, quos chronica nunc diarrhoea divexat, exceptis. Dejectiones, quo crebriores et pauciores sunt, eo majus periculum instat. Aetas tenerior, provecta nimis, pubertatis instans periodus, graviditas,

puerperium, corporis habitus debilis, valetudinarius, pusillanimitas dysenteriae pericula augent. Profluvium cruoris ex ano etiam sat multi sub hujus morbi exordio proficuum esse solet. Quo majoribus cruciantur doloribus et quo majore tenesmo, eo majus vitae periculum. Omnium periculosissima est dysenteria sicca. Si cutis hoc in morbo fit mollis, tractabilis, vaporosa, vel universo non viscido sudore madescens, si urinae et flatus sonori facile secedunt, spes sanitatis adest. Infausta erit prognosis, dum vires cito labuntur, si pulsuum frequentia atque debilitas increscunt, si motus involuntarii, carphologia accedunt, si facies collabitur, si oculorum splendor et acies amissa comparent, si aeger soporosus oris antro siccissimo nigrescente, oculis semiapertis, in dorso, cruribus inverecunde divaricatis jacet, si deleto sphincteris ani officio, alvum liquidam, fuscam, subnigram, foetidissimam inscius amittit.

Terminationes dysenteriae.

Hae sunt:

1mo in sanitatem, criticis sudoribus et urinis largis, sedimentosis, remissione torminum, tenesmo rariore, tandem alvo foeculenta, larga, pultacea, nonnunquam hydroa febrili vel exanthemate miliari.

2do in indurationem, callositatem, vel pseudoorganisationem tractus alimentaris ex praecocius dysenteria suppressa per remedia adstringentia et inde nato statu subinflammatorio chronico, sub quo parietes ope lymphae inter tunicas intestinorum effusae et coagulatae incrassantur, unde pertinaces alvi obstructiones, mariscae haemorrhoidales, pseudomembranae et polypi, unde secretio muci copiosior, blennorrhoea, diarrhoea, dysenteria chronica; ex turbata vero digestione, assimilatione et excedente humorum lymphaticorum ex-

cretione oriuntur dyspepsia, tabes, febris hectica, hydrops.

3tio in suppurationem et exulcerationem, aut ex aphtis copiosis, aut ex abscessu majori, inde phthisis intestinalis, ascites saniosus, diarrhoea purulenta; sed rarior hic exitus observatur.

4to in mortem directam per sphacelum, qui exitus frequentior et semper locum habet, ubi dysenteria cito necat, ad quam concludimus ex subitanea cessatione dolorum prius constantium, vehementium, admodum extensorum, ex fallaci inde provocata euphoria, ex atro foetore excrementorum dejectorum, ex pulsibus frequentissimis, minimis, tremulis, intermittentibus, ex lapsu virium praecoci, deliriis, animi deliquiis, statu soporoso, sudore frigido. Mors indirecta ex parte febris per transitum in nervosam, putridam, aut per mala posthuma exsequitur.

Necroscopia.

In cadaveribus dysenteria peremtorum variae organorum abdominalium, praecipue tubi intestinalis mutationes pathologicae inveniri solent. Raro ventriculi et intestinorum tenuium abnormitates, eo magis autem intestinorum crassorum et praeprimis intestini recti observantur. Saepissime intestina adparent inflata, muco crasso obducta, rubra, inflammata, sanguine suffusa, exulcerata, callosa, indurata, aut maculis rubris vel nigris obsessa; tunica illorum villosa, gangraena destructa, tubus intestinalis coarctatus, parietes illorum emolliti vel incrassati. Utplurimum hepar inflammatum, tumidum, gangraenosum, omentum inflammatum; pancreas et glandulae lymphaticae induratae et tumidae, non raro, uti omentum exulceratae, cavum abdominis sero foetido sanguinolento repletum solet inveniri.

Therapia.

Haec quoad indicationes generales quidem in omni casu eadem est, harum expletio vero admodum variare potest, pro singulis nempe dysenteriae speciebus; quam ob rem prius has indicationes, et quaecunque in genere sunt observanda, induco, deinde vero tractationem therapeuticam, quae singulis dysenteriae speciebus convenit.

Prima generalis indicatio est: *causam morbi occasionalem, si adhuc perstaret, amovere, vel saltem ejus vim infringere.* Omnium primo cavendum, ne causa morbi identidem repetatur; hinc praeprimis necessaria est aequalis temperatura, ne aeger perfrigerationem, quae in nullo fere alio morbo tam nociva reperitur, quam in dysenteria, capiat. Hoc difficili modo tamen propter frequentem alvum deponendi necessitatem fieri potest, qua ex causa suadendum est, ut aegri dysenteria decumbentes in excipula supposita alvum ponere jubantur, quum alioquin continuo surgentes facile refrigerium denuo excipiant. Ni hoc fieri posset, aeger non nimis calide vestitus sellam perforatam penes lectum positam adeat. Aeger abstineat ab omni potu frigidiusculo, aeris frequens instituatur renovatio, excretorum cita amotio procuretur, separatio aegrorum, si eorum numerus major sit, jubeatur, ne aëri impuro putrescenti producendo et contagii evolutioni occassio detur. Quae omnes regulae magna cum praecautione in castris, nosocomiis, aut ergastulis, in quibus permulti saepe hoc morbo decumbunt, observandae erunt.

Secunda indicatio *causam morbi proximam tollere* jubet, cui indicationi diversa ratione satisfaciendum erit, nempe secundum dysenteriae diversum characterem specialem, secundum gradum, individui conditionem et morbi complicationem. Qua ex causa hic morbus modo remediis diaphoreticis, modo solventibus et antibiliosis,

modo obvolventibus et antiphlogisticis, modo per os aut anum evacuantibus, modo stimulantibus, roborantibus, ipsisque adstringentibus sanatur; quorum remediorum specialem indicationem inferius curatius explanaturus sum.

Tertia indicatio est, *ut molimina critica rite dirigantur.*

Quarta indicatio ad *convalescentiam refertur.* Praecipuum opus medici in eo versetur, ut morbi recidivi exortum, quantum potest, praecaveat. Quamobrem morbi evolutionem aëris ambientis puritate, victu nutriente, eupepto et salubri, modico vinosorum, amaro-aromaticorum usu felici cum eventu praecavebitur. Simili ex ratione omnis corporis exaestuatio, temperaturae vicissitudo, omneque refrigerium evitentur. Quum autem non omnis dysenteria crisi benigna resolvitur, sed metastasi saepe, aut metaschematismo finitur; hinc etiam diversa, quae exinde oriuntur mala, diversam expostulant medendi rationem.

Diarrhoea, quae saepe dysenteriam sequitur, ad atonicam intestinorum adfectionem robore suo destitutorum pertinet, quod omnis doloris absentia demonstratur. Indicantur hoc in casu medicamina roborantia, stomachica; ast semper mitioribus ascendendo ad fortiora incipiendum erit, quum alioquin notum sit, medicamina roborantia fortiora nimis vehementer ventriculum et intestina irritare et offendere, quum e contrario mitiora haec viscera stimulo blandiori excitent et vitalitatem eorundem depressam erigant. Magnam in hisce casibus laudem meretur radix Arnicae, mox minori, mox majori dosi propinata, prout major, minorve receptivitas exigit. Non tamen desunt casus desperati, in quibus stipticis quoque succurrendum est. Multum etiam, imo et plurimum a regimine diaetetico artis regulis subjecto erit exspectandum.

Dysenteria chronica, quae saepe dysenteriam acute decurrentem subsequitur, in lenta intestinorum inflammatione consistens non priori absimilem curam exoptat.

Tenesmus chronicus secundum artis medicae regulas erit tractandus. —

Hydrops dysenteriam saepenumero subsequens, charactere atonico incedens, remediis diureticis, acribus, tonicis, systema vasorum lymphaticorum irritantibus diverso modo cum aliis combinatis felici saepe cum effectu, tractabitur.

Dysuria aut ischuria, quae saepe dysenteriae comites sistunt, characteris modo rheumatici, modo inflammatorii, aut per humorum secretorum, inprimis bilis acrimoniam inductae diversa medendi ratione tractabuntur. Quae autem hujus morbi sequelam sistunt ex metastasi rheumatica ortae characteris inflammatoriae, emulsis interne assumtis, emollientibus cataplasmatibus ad pubis regionem adplicitis utplurimum sanantur.

Therapia singulis dysenteriae speciebus conveniens.

I. *Dysenteriae inflammatoriae.* Haec eandem therapiam expostulat, ut vera enteritis, et quidem eo generosius antiphlogistice agendum erit, quo clarius symptomata inflammatoria enunciata sunt. Tractamen cum venaesectione incipiendum, cujus repetitionem intensio morbi et robur individui designabunt. Nonnunquam detractio sanguinis localis sufficiet, in quo casu hirudines abdominis parti dolorificae aut ano adplicantur; effectum hirudinum adjuvamus per medicamina antiphlogistica, uti potulenta refrigerantia, acidula: Talia sunt: limonada, syrupi aciduli, emulsiones, serum lactis, fomentationes et clysmata emollientia. Si per hoc tractamen status inflammatorius fractus est, tunc morbus plerumque faciem induit dysenteriae catarrhoso — rheumaticae, cujus therapiam uberius explanaturus sum.

In sananda dysenteria rheumatico-catarrhosa medicus sensibilitatem et irritabilitatem intestinorum adauctam compescere debet; hinc tuto feliciterque potulenta mucilaginosa, tepidula propinata, membranas irritatas et muco privatas obvolventia adhibentur. Talia medicamenta sunt: malva, althaea, salep, verbascum, emulsa amygdalina, seminum papaveris, mucilago gummi arabici, mixtura oleosa cum gummi Mimosae parata etc.

Multum salutaria quoque leniter diaphoretica: sambucina, aliaque aromata leniora, opium, pulvis Doveri, radix ipecacuanhae, quum tractus intestinalis sensilitatem nimiam obstupefaciunt, tum diaphoresin adjuvant, observantur. Quodsi autem tormina celerius redeunt, minusque perfecte intermittunt, quo validiores motus febriles, hinc quo major status intestinorum irritativus observatur: eo magis necessitas urget, ut ab opiatis, alterantibus et stimulantibus abstineatur, et solummodo mucilaginosis et lenientibus morbus profligatur. Quodsi autem dolores, quamvis graviores perfecte intermittant, alvi dejectiones crebriores urgeant, et febris nulla adsit, nullum habetur medicamen opio praestantius. Externe enemata emollientia, involventia, sedantia, tepidule et pauca quantitate injecta, cataplasmata emollientia abdomini admota, unguenta oleosa, anodyna, abdomini illinita, nec non balnea tepida bis de die in usum vocata optime conducunt. Regimen diaeteticum respicientes, curandum est, ut aër purus sit, siccus, moderate calidus; ut aeger fruatur solummodo jusculis carnium tenuibus; in lecto sufficienter tectus decumbat, utque ipsi vas suppositorium pro singula evacuatione in lectum porrigatur.

Dysenteria biliosa complicationem cum polycholia sistit, quae adfectionem intestinorum crassorum aut sustinet aut exacerbat.

Prima indicatio est, morbum complicatum simplicem reddendi, quod fit per emetica vel cathartica vel ea simul juncta emeto-cathartica, prouti sordes biliosae aut sursum aut deorsum urgent.

Emetica certe hic summi momenti sunt, eoque magis quidem salutifera observantur, quo prius adhibentur, et nullo alio remedio possunt suppleri. Inter haec Ipecacuanha omnino principem locum habet, cum sordes biliosas e ventriculo et intestino duodeno directe via brevissima evacuat; quibus evacuatis, remediis aliis viam pandit, cutis functionem spasmos solvendo restituit, et ulteriori humorum deorsum vergentium nisui obstat, motum peristalticum invertendo, quo nimiam virium jacturam moderat; tandem id emolumenti adhuc habet, quod vires vitales longe minus, quam tart. emet. et purgantia prosternat. Quae omnia certe summas laudes illi jure conciliant. Nihilosecius saepius etiam tart. emet. cum ea jungendus, vel etiam solus in solutione exhibendus, ubi nempe individuum magis torpidum coram habemus, et si sordes biliosae sursum et deorsum simul turgent, cum tart. emet. et alvum simul reserando effectum emeto-catharticum plerumque hic desideratum conjungit. Interdum etiam venaesectio vomitorio praemittenda, ubi nempe congestiones ad caput vel organa nobiliora in subjectis torosis et bene pastis ob nimiam concussionem arcendae sunt, ubi ergo detrimentum inde oriundum avertere studemus.

Remedia cathartica mitiora indicantur, ubi turgescentia sordium deorsum praevalet. Huc referuntur tamarindi, radicibus graminis vel althaea juncti, manna, pulpa cassiae, cremor tartari, tartarus tartarisatus, sal ammoniacus, calomel, fructus maturi aciduli. Complicatione hac biliosa sublata, dysenteria simplex remediis prius recensitis tractanda est.

Dysenteria maligna therapiam expostulat stimulantem, ubi energia systematis nervorum praeprimis la-

befactata est, in hoc casu valeriana, angelica etc. indicantur; aut roborantem, si totus organismus valdopere debilitatus est, praevalenti laxitate organorum irritabilium, hic cortex peruvianus, cascarillae, simarubae, colombo, lichen islandicus, nec non radices arnicae, quae alvum pedetentim et lente coërcent et tormina componunt, optimo successu adhibentur; interdum antisepticam, si nempe nisus humorum diversorum in colliquationem animadvertitur, tunc acida praeprimis mineralia, ut acidum sulfuricum, nitricum, muriaticum in usum trahenda; si aegris summa virium exhaustione consumtis sanguis largus meracus abit, ipsa stiptica expostulantur, uti alumen, radix tormentillae, bistortae, succus catechu, radix ratanhiae etc. Si tormina gravissima, sensilitas tractus intestinalis summa, meteorismus, tenesmus molestissimus et excretiones alvinae continuae adsunt, nullum efficacius opio habetur medicamen. Si phlogosis intestinorum insimul adest, non alia, quam antiphlogistica medendi methodus in usum vocanda erit. Aliae combinationes correspondentibus medicaminibus profligandae erunt.

Cura dysenteriae verminosae et pituitosae partim ex supra dictis, partim ex cura febris pituitosae et verminosae facile elucet.

Legi de hac materia.

Maximil. Stoll, rationem medendi part. tert. Viennae 1780.
Josephi Quarini animadversiones practicas. Viennae 1786.
Th. Sydenhami observationes circa morbos acutos. Sect. IV.
J. G. Zimmermann's Werk von der Ruhr unter dem Volke im J. 1665. Zürch 1767.
J. Ch. Vogler's Abhandlung von der Ruhr und ihrer Heilart. Giesen 1797.
D. G. Freyh. v. Wedekind's Werk über die Ruhr, herausgegeb. von Dannenberg. Frankf. a. M. 1811.
Franc. nob. ab Hildenbrand, inst. med. pract. Tom. IV. Viennae 1825.
J. N. Raimann nobilis de, principia pathologiae ac therapiae specialis medicae, usui academico accommodata. Tom. I. Viennae 1835.
Wilhelm Ludwig Hase's chronische Krankheiten. 3. Bd. Leipzig 1830.

Theses defendendae.

I.

Non omne contagium morbum producit, et non omnis morbus contagiosus e contagio oritur.

II.

Formula nimis composita dubium de firmitate diagnoseos movet.

III.

Medicus practicus absque theoria caecus.

IV.

Clima fons praecipuus characteris populorum.

V.

In cura infantum remedia externa vix non semper internis praeferenda.

VI.

In inquisitione forensi medicinali quaestiones proferre, medici est, non judicis.

VII.

Medicus rationalis chemiae studio carere non potest.

VIII.

Cystotomia lateralis hypogastricae ceteris paribus praeferenda.

IX.

Oculus speculum corporis et animi.

X.

Musicae vis in multis morbis salutaris.

XI.

Studium medicinae nonnisi morte finiendum.

XII.

Potus arabicus saepe majora ponit obstacula in praxi medica, quam morbus ipse.

XIII.

Non omne penis ulcus syphiliticum.

XIV.

Effectus actionis medicamentorum in sano multopere differt ab illa in aegro.